



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio IV. De alijs operationibus Angelorum ad extra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

eo modo proludere, voluisse incarnationi. Hinc illas apparitiones Dionysius appellat *θεοφανείας*, Irenæus *dispensationes* quæ postea expolitæ sunt à verbo, Athanasius *Ideas ratione nostri transfiguratus*. Et probatur quia, tunc Deus ipse in corpore assumpto apparet, non autem corpus solus Deus representatur, sed in multis huiusmodi apparitionibus solus Deus representabatur non autem Angelus, verbi gratia, dum columba visibili specie supra Christum descendit; dicitur enim *Super quem visceris spiritum descendente*: non video autem quomodo ibi representatus sit Angelus, similiter cum Spiritus Sanctus in linguis igneis descendit super Apostolos non dicitur descendisse Angelus, cum ergo verba Scripturæ dicant Deum apparuisse, & in proprio sensu explicari possint, non possunt aliter intelligi, quàm omnino propriè. Ita docent Ruiz supra citato loco, Fernandus visione 6. contra Suarezem, Vaqueum, & alios non paucos. Tertio tamen apparitiones illas omnes certum est, fuisse factas ministerio Angelorum qui soli formabant immediatè illud corpus, & immediatè illud mouebant, quia sic decebat Deum uti Angelis ut ministris, tametsi non propterea illi corpus tunc assumerent neque in eo apparerent, quia per illud non representabantur, sed solus Deus, quod sufficit ad assumptionem, & sic optimè saluari possunt quæcunque proferunt aduersarij ex Scripturis aut Patribus, nam visiones dicuntur esse factæ per Angelos, & ipsi Angeli quodammodo in illis apparuisse, quia ipsi formarunt corpus illud, & mouerunt in quo tamen primariò solus apparebat Deus. Christus in Eucharistia, vel alibi quoties apparet in forma quam in se non habet, apparet in corpore formato per Angelos, aliquando in corpore propriò apparet, quod dicendum etiam est de Virgine Deipara, & aliis Sanctis, alioqui beata ipsa Virgo corpus habens non appareret.

Ad secundam, satis constat ex dictis quòd ad assumptionem corporis non sufficiunt indistantia, & motus, sed requiritur representatio.

Ad tertiam Respon. esse facile Angelo ita turbare medium ut impediatur specierum productio, ex quo efficitur etiam ut non videatur ab omnibus corpus illud in quo Angelus apparet.

SECTIO IV.

De aliis operationibus quas ad extra efficere possunt Angeli.

S. Thom. quæst. 110. art. 2.

Latissimè patet hoc argumentum in quo explicando multi Doctores accuratè versati sunt, mihi ad alia instituti Theologici magis propria festinanti satis erit, duo breuiter exponere. Primò utrùm nihil extra se Angelus possit immediatè operari nisi motum localem. Secundò, quænam sint ea, quæ mediante motu locali potest operari.

Ratio dubitandi est primò, quia sæpè Angeli præsertim mali oculis absentia obiecta representant, sed hoc non possunt facere nisi producant species impressas eorum obiectorum, quod non fit per solum motum localem, ergo motus localis non est id vnum quod immediatè possunt operari Angeli extra se.

Secundò sæpissimè Angeli producant extra se accidentia plurima & formas substantiales, meteora in aère, multa etiam efficiunt opera mirabilia in quibus non interuenit, vel ad quæ non sufficit motus localis.

Tertio, id videtur etiam valde congruum ordini

Tom. I.

vniuersi ut superiores illæ intelligentiæ quarum ministerio vitur Dei prouidentia in gubernatione vniuersi multa per se producere possint, & longè plura quàm agentia corporea, in quibus virtutes apparent multorum ac mirabilium operum effectiua.

Dico primò, Angelus præter motum & impetum nihil omnino extra se immediatè potest operari, vel substantiale vel accidentale. Ita vniuersim affirmit omnes Theologi.

Ratio est quia, nec experientia, nec ratio, nec autoritas vllam aliam in Angelis cogit ponere operationem, quæ non sit à potentia motrice applicante actiua passiuæ, vel quæ ad eam non possit commodè referri. Deinde ordo vniuersi non postulat aliam in spiritibus operationem quàm loco motuiam, totum enim Angelorum ministerium quod vniuerso necessarium est, sufficienter exhibetur per motum quo applicentur actiua passiuæ, aliud autem totum non est necessarium, neque mundo corporeo, neque ipsis Angelis, vnde sequitur, quod nullum ab Angelo produci potest immediatè accidens reale, quod disponat ad formam substantialem, neque vllam formam; quam si aliquam producant, id non assequuntur nisi per motum localem, quo agentia naturalia mouent, & applicant subiectis actionem recipientibus, ut constabit statim.

Dico secundò, Angeli mediante motu & impetu multa efficere possunt extra se opera mirabilia tum substantialem, tum accidentialem, in corporibus viuentibus, & in non viuentibus. Tractant de hoc argumento fusè ut dixi Delrio, Thyraus, Bubalus, Suarez, Binsfeldius.

Primò ergo, per eum motum quo applicant actiua passiuæ producant Angeli etiam mali plures substantias animatas, & inanimatas: nam aurum producere multò facilius possunt quàm Chymici: animalia imperfecta quæ generari solent ex putri, sine dubio possunt breuissimo tempore producere, cuiusmodi fuisse serpentes Ægyptios certum est: de perfectis aliqui dubitant, sed illa tamen etiam possunt producere modo decidunt aliunde semen, nam sine illo nequeunt formare tam perfecta organa. Imò nec fortassis extra vasa naturalia: in huiusmodi autem formis producendis mirabilis omnino est eorum ars, & industria: possunt videlicet efficere ut monstris sint partus, possunt impedire generationem, eam accelerare, aliæque operari in quibus nihil est. Quod nequeat fieri per motum.

Secundò, producere quoque possunt per motum & applicationem genus omne meteororum, pluuias, ventos, grandines, procellas, terræ motus quorum exempla plurima, & stupenda referunt citati Auctores.

Tertio possunt per huiusmodi applicationem imitari opera vitæ vegetatiuæ nutritionem & accretionem, vel etiam eas impedire ac promouere sicque morbos immittere, prorogare vitam, mortem accelerare, non tamen omnino arcere, quia hoc nulla vis creata efficere potest, neque applicatio actiuorum, procurare possunt sanitatem, longam inedia reddere innoxiam imò & insensibilem.

Quarto multipliciter etiam illudere possunt Angelis sensibus tum externis, tum internis varias intus causare imaginationes, & varios affectus in appetitu: In animam autem rationalem immediatè agere nihil possunt, quia motus, & impetus quem solum producere possunt nihil spirituale possunt efficere: sed mediante tamen corpore mirum est quam multipliciter animam afficere possint spiritus illi nequam.

Ad primam Resp. esse impossibile ut Angelus obiectum absens representet producendo illius speciem impressam;

Conclusio
negatiua.

Altera conclusio.

Substantiæ animatæ ac inanimatæ.

Meteora.

Opera vitæ vegetatiuæ.

Illudunt sensibus.

Solutio dubitationum.

li 2.

impressam; sed id faciet tantum mouendo species quam sunt in phantasia, & sic decipiendo externos sensus.

Ad secundam Resp. illa omnia vel accidentia vel substantias quæ Angeli extra se producant, non produci nisi quatenus applicant actiua passiuus per motum aut impetum vt dixi.

Ad tertiam Resp. nihil esse necessarium ad ordinem, & ad bonum vniuersi vt Angeli virtutem aliam habeant quam mouendi corpora, & ea per motum applicandi; sic enim omnia facile obeunt ministeria, in quibus prouidentia deseruiunt.



DISPUTATIO II.

De supernaturali perfectione Angelorum.

Quæst. 62. 63. 64.



ACTENVS spirituales substantias consideravi, secundum ea quæ naturaliter ipsis insunt; habent enim substantiam ab omni materia face liberam, atque adeo immortalem indiuisibilem, simplicissimam. Habent intelligentiam perspicacissimam, voluntatem liberrimam, facultatem motricem potentissimam. Nunc vocant nos Angelorum supernaturalia ornamenta quibus ad diuinam similitudinem propius accedentes, toti coruscant donis gratiæ ac gloriæ. *Tu signaculum similitudinis, omnis lapis pretiosus operimentum tuum:* Possumus autem omnia tribus complecti capitibus. Primum sit, instans creationis & gratiæ. Secundum instans, peccati & perseuerantiæ. Tertium instans, penæ ac beatitudinis.

QVÆSTIO I.

De primo instanti creationis & gratiæ Angelorum.

S. Thom. quæst. 62.

PRIMUM ergo considero Angelos ex ipsis opificis Dei manibus prodeuntes plenos gratiæ & decore vbi primò occurrit gratia sanctificans. Secundò, auxilia gratiæ per quam ad illam dispositi sunt. Tertio, actus meritorij quibus in eo primo instanti ad gratiam se ipsi dispoſuere.

SECTIO I.

De gratia sanctificante Angelorum in primo instanti creationis.

S. Thomas, art. 1. 2. 3. 4. 6.

Fuerunt
omnes via-
tores,

CERTUM est primò, multos Angelos habuisse in primo instanti beatitudinem supernaturalem, sed omnes fuisse viatores, quia omnes, vel peccauerunt, vel habuerunt potestatem peccandi. *Fuit voluntatis sanctorum Angelorum* (inquit Prosper lib. de vita contemplat. cap. 3.) *quod malis sponte labentibus, in sua ipsi dignitate manserunt, & diuino instoque Dei Iudicio actum est, vt que fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi, voluntaria felixque necessitas.* Congruentia propter quas detinere aliquandiu in via voluit Deus illos spiritus, varia à Patribus afferuntur, præcipua illa est quam habet August. lib. de Corrupt. & Grat. cap. 10. *Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset gratia beneficium.*

Fuerunt
omnes ini-
tio sancti.

Certum est secundo, nullum esse Angelum qui aliquando non fuerit verè sanctus per gratiam à Deo acceptam, nam ita colligitur ex Scripturis iuxta interpretationem sanctorum Patrum, v. gr. Ezech. 28.

quod ad litteram dictum est de Rege Tyri, certum est communiter intelligi de Lucifero: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & decore, in deliciis paradisi fuisti, &c. Tu Cherub extensus, & protegens, posuisti te in monte sancto meo, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis tue.* Quæ verba Gregor. Damasc. Isidor. Tertull. intelligunt de gratia data Lucifero, qui etiam dicitur à Christo, non stetit in veritate, & à S. Iuda non seruasse suum principatum. Imò & inde constat quod illa gratia data illis est in primo instanti creationis, cum dicat Ezechiel: *Perfectus in viis tuis à die conditionis tue, donec inueniatur iniquitas in te.* Sicque asserit expressè Augustin. lib. 12. Ciuit. cap. 9.

Difficultas igitur tantum est primò, vtrum in primo illo instanti Angeli habuerint gratiam per propria merita. Secundò, vtrum etiam in illo primo instanti potuerint per propria merita obtinere beatitudinem.

S. I.

Vtrum Angeli primam Sanctitatem per merita obtinuerint.

DISPONERE se ad gratiam, est elicere aliquem actum bonum qui sit meritorius gratiæ de congruo, vel de condigno. Cum enim certum sit vt postea dicam Angelos in primo instanti benè operatos fuisse supernaturaliter, dupliciter potuit se habere illa bona operatio ad gratiam, primò enim, potuit esse fructus, & effectus illius gratiæ, si nimirum gratia illa omnino gratis Angelo data sit qui eam instructus benè operatus sit per vim acceptam à gratia, & à charitate. Secundò, potuit esse causa talis gratiæ, si nimirum data sit gratia propter bonam illam operationem factam omnino independentem à gratia. Quod enim iuxta principia sua, tertio addunt Thomistæ gratiam illam esse potuisse causam simul, & effectum talium actuum, suo loco relictum est.

Sensus qua-
stionis.

Ratio ergo dubit. primò est, quia gratia data Christo non fuit data ex meritis, ergo nō est perfectius habere illā ex meritis: imò eo argumēto probaretur, vniōem hypostaticam debuisse dari ex meritis humanitatis ex quibus dictum aliās est illam potuisse dari. Deinde si operatio procedat ex gratia, multò erit perfectior quā si causet gratiam, ergo perfectius erit Angelum habuisse gratiam, quæ causet meritum, quā habuisse meritum per quod gratia causetur.

Prima di-
uisio,

Secundò, Deus potuit facere vt actus ille bonus elicetus in primo instanti non causeret gratiam, sed causeretur à gratia prius natura existente in Angelo. Ergo de facto gratia illa non est causata per actum bonum, probatur consequentia, Deus non potuit facere vt gratia quæ nunc in Angelis fuit effectus meriti, fuerit causa meriti, quin fieret aliqua mutatio alicubi; si enim omnia eodem modo se habeant vt se nunc habent, semper gratia erit causa meriti, sed si Deus vellet gratiam esse causam meriti omnia eodem modo se haberent vt se nunc habent; actus enim illi essent iidem, Angelus quoque, ac gratia eandem haberent entitatem, ergo si Deus potuit facere vt gratia esset causa meriti, gratia de facto fuit causa meriti.

Secundò

Tertio, si Angeli omnes in primo instanti habuerunt gratiam, vel illa in omnibus fuit æqualis, vel inæqualis, si primum ergo illam Angeli non meruerunt quomodo enim fieri posset vt tanta multitudo Angelorum adeo inæqualium, æqualiter operata esset? Adde quod communis sententia est, quod Angelis secundum naturam perfectioribus perfectior gratia data est, si autem fuit inæqualis, iuxta inæqualitatem naturæ, ergo illa gratia non est data ex meritis, sed propter maiorem naturæ perfectionem.

Tertio

Dico